

te patria in media virtutum mole locavit.
 tu tamen anxiferas curas requiete relaxans
 quod patriae vacat his studiis nobisque sacraſti.'

tu igitur animum poteris inducere contra ea, quae a
 me disputantur de divinatione, dicere, qui et gesseris 5
 ea quae gessisti, et ea quae pronuntiavi accuratis-
 23 sume scripseris? quid, quaeris, Carneades, cur haec
 ita fiant aut qua arte perspici possint? nescire me
 fateor, evenire autem te ipsum dico videre. 'casu' in-
 quis. itane vero, quidquam potest casu esse factum, 10
 quod omnes habet in se numeros veritatis? quattuor
 tali iacti casu Venerium efficiunt: num etiam centum
 Venerios, si quadringentos talos ieceris, casu futuros
 putas? aspersa temere pigmenta in tabula oris linia-
 15 menta efficere possunt: num etiam Veneris Coae pul-
 chritudinem effici posse aspersione fortuita putas?
 sus rostro si humi A litteram inpresserit, num propter-
 ea suspicari poteris Andromacham Enni ab ea posse
 describi? fingebat Carneades in Chiorum lapicidinis
 saxo diffisso caput extitisse Panisci: credo aliquam 20
 non dissimilem figuram, sed certe non talem ut eam
 factam a Scopa diceres. sic enim se profecto res ha-
 bet, ut numquam perfecte veritatem casus imitetur.
 14 'At non numquam ea quae praedicta sunt minus
 24 eveniunt.' quae tandem id ars non habet, earum dico 25
 artium, quae coniectura continentur et sunt opinabiles.
 an medicina ars non putanda est? quam tamen multa
 fallunt. quid, gubernatores nonne falluntur? an Achi-
 vorum exercitus et tot navium rectores non ita pro-
 30 fecti sunt ab Ilio, ut 'profectione laeti piscium lasci-